33666

CAPUA
POST
CAMPANIAM
in CRAPULA

Absorptis cum tabe liqvidis, Siceram, & geminam Literam involventibus.

OLIM

LITVANO ANNIBALI

CASIMIRO SKIRGELONI,

Kijoviensium ac Trocensium DVCI, post felices cum Barbaris, & feris conflictus, ad luctuosum luxum

INNOVATA.

Nunc demùm

Ante-ciner alibus Feriis, in monimentum triumphalis fugæ, certantibus super mensas Tricongii Prætorianis, Scenicâ erectione, in theatrali Umbria

REPRODUCTA

A Tulliana Palæstra Universitatis Vilnensis Societ: IESV

ANNO SALUTIS

In amaro Calice mortem extingventis,

1690. *V. Kalend: Martias.*

ARGUMENTUM.

CAmpaniam Falerno campo, & Massico monte opimam, Cratera olim (teste Volaterrano) appellatam, sat inde celebrem reddiderat Mavortiorum domitrix Virorum Capua, quòd Terrorem illum Romæ Annibalem, exhaustis per luxum heroicis viribus, ad virus postremò hauriendum compulerit. Celebriorem attamen & Urbem & Regionem dictam propinata secuturis sæculis, nocentis exempli fecit lues, quæ in hæredibus damnosæ vinolentiæ Principibus, Martis labores morte diluens, ad crapulam & capulum, cognominem veteri non unam fundavit an effudit Capuam. Atq; hoc inter cæteras, titulo insigniri meruit Kijovia, CASIMIRO SKIRGELONI, Vladislai Jagellonis Fratri, ex pacto cognatorum Ducum, pro depositis universæ Litvaniæ Fascibus, subjecta. Hîc enim novus Annibal Roxolanos pro Romanis nactus æmulos, dum subactis circùm Ditionibus, victisq; novissimè Circassis, genio tantisper indulget, ac in venandi oblectamenta effusior, per otium sectatur feras, ferociorem inter homines offendit Circen, malevolorum scilicet invidiam, quæ Principem dapsili honoratum cænâ, poculisq; hilariùs certantem, intermisso ferali cratere, mactavit veneficiis. *Alexand: Gvagninus in descript: Litv: P. Albertus Kojałowicz Histor: Litv: parte 2. lib: 2*

PROLOGUS.

(*)

PROLOGUS.

VIctori Skirgelonis Genio, Dolus pro Panegyri Librum Caligulæ pugione (a) *notatum, in applausum offert; quo in flammas abeunte, luxus craterem ad diluendos labores heroicos substituit, cum Ovidiano Acroamate:* Vina parant animos. *Temperantia Cyathum hunc eripiens, cum serpente ignivomo horridū ostendit, simulq; Scyphum Bacchi in Cælo, quod sidus inter* Angvem & Corvum *funesta signa, in Februario* (b) *exoritur, cum Senecæ parænesi repræsentat:* Venenum in auro bibitur. *in Thyest:* 3.

(a) *Sveton: in Caj: Cali:* (b) *Ovid: Fastor:* 2.

INTERLOCVTIO.

ACTUS PRIMUS.

Scena I. Voydilo & Sermundus Centuriones, captivos Skirgelonis cum victoria de Circassis (c) venientis, Kijoviam deducentes, orta dissensione de præcedentia & ordine ingrediendi, duellum sibi indicunt, peracta ingressûs pompâ ineundum. Interim Alexandro Volodimiri Filio (d) nuper heredi Kijoviæ, ac Dolomiro ejusdem Ducatûs Exarchæ, Principem adesse denuntiant.

Scena II. Prodeuntibus obviam Alexandro & Dolomiro, Skirgelo triumphans aulam ingreditur, ubi traditis aureis clavibus, vexillisq; Dux Kijoviæ ab iisdem salutatur. Quibus vicissim spolia partitus Princeps, Alexandro minorenni cognatoq; Principi Gladium, virtutis heroicæ incitamentum; Dolomiro poculum auro circumdatum, quod è cranio Curetis (e) cæsi Sventoslaus, fusus ipse non pridem (f) à Skirgelone, cæsusq; reliquerat, donat, hisce congiarium commendans: *Pro mucrone munus hoc venit mihi.* Algimundo verò Holsanensi (g) Duci, quem à Vitoldo sibi additū habebat, ipsas claves tradit. Dolomirus quasi Cives Regionis de obliganda novo Duci fide commoniturus, epulumq; apparaturus, Alexandro remonstrationem Urbis, ac imprimis Cryptarum Kijoviensium, recreandi Principis causâ, committit.

Scena III. Dolomirus infensus Skirgeloni utpote Litvano, ac interfectori Fratris sui Swentoslai, nec non in Algimundum propensiori, (quòd claves traditæ tradita rentur) tum deniq; ob ominosum fati sui Craterem, *pro mucrone* sibi oblatum, furiis agitatus, mala sua Principis nece impedire decernit. Verùm dum pericula machinationis, & poculum illud versat, erumpente subitò mortis spectro; pænè exanimatus concidit. Sic jacentem umbra Sventoslai à proposito deterret, ereptumq; de vulnere suo pugionē in ejus sinu deponit, illud adjiciens: *Hærebit altè stimulus ulturus nefas.*

Scena IV. Experrectus abeuntis umbræ sonitu Dolomirus, repertam sicam cum verbis, quæ ultima somnianti hæserant: *Hærebit altè, &c.* perpendens, ad ultionem se mortis à cæso Fratre urgeri autumat, ac supervenientem Nemirum Præpositum cubiculo Alexandri, ad vindicandum Ducatum per necem invisi Principis, quasi in sortem tenelli heredis solicitat, quod largis promissis, & dandis mox utrinq; arcani cautionibus evincit. Ipse interim ad infamem præstigiis calvum montem, futuri eventûs anxius festinat.

Scena V. Accolam Montis Magum (*Contemplatores* vulgus vocitat) consulente Dolomiro de suarum rerum successu, dum ille necromanticum aperit volumen; prosilit è libro pugio cum scypho, quorum involutam elucidationem his claudit præstigiator: *Sors verget in te, quando Dux prior cadet.* Hoc responso lætus Exarcha, per visam sicam, Skirgelonis necem, à subornato Sicario perpetrandam, per cyathum verò tanquam *scyphum boni ominis* (qualis antiquis (h) in usu erat) sortem Principis cum donato cratere ad se transferendam, notari interpretatur, atq; ad Nemirum redit, tabellas cautionis clàm formaturus.

(c) *Gvagninus fol:* 176. (d) P. *Kojałowicz sup:* (e) *Sigismun: Baro de reb: Mosc. & P. Masen: spec: imag: c.* 78. (f) P. *Kojałowicz p.* 1. *l.* 9. (g) *Idem p.* 2. *lib:* 2. (h) *Alex: ab Alex: lib:* 5. *c.* 22.

INTERLOCVTIO.

CHORUS

CHORUS I.

Ambitio & Dolus, Genio Dolomiri honorum fame laboranti, mensam fortunæ instruunt; cui cætera inter Insignia Mitram superimponunt: hanc dum avide captat Genius, avolante illâ sangvinemq; pro Purpura, stillante, gladios erumpentes de mensa apprehendit; ex quibus unum arripiens Fidelitas, infortunatos Symposiarchos abigit, Dolomiro inculcans illud: *Isaiæ 65. Væ! qui ponitis Fortunæ mensam, numerabo vos in gladio.*

ACTUS SECUNDUS.

Scena I. Skirgelo cum Alexandro & Algimundo, dum celebres revisit Cryptas, unus è sepultis inibi Principibus, craterem ipsi cum pugione propinat; quo spectaculo Dux cum Aula perculsus, à superveniente Dolomiro, & omen ostenti aliis similibus ibidem spectari solitis elevante, nonnihil sedatus ad Aulam & quietem regreditur.

Scena II. Voydilo & Sermundus indictum sibi mutuò duellum instituentes, dum prodigiosè Voydilonis gladius ensi alterius, ereptus adhæret, agnoscunt se esse fratres; sed à superveniente Dolomiro, ob violatam clamoribus strictoq; ferro Regiam, in carcerem conjiciuntur.

Scena III. Sopitum nonnihil Principem primò Lemures, deinde Nemirus Sicarius, metu & temeritate luctante, infestat; sed fugientibus cum fragore strygibus, experrectus Skirgelo Aulam inclamat, Nemirus verò scelere constrictus, clementiam; verùm ab accurrente cum Aulicis Dolomiro, suiq; proditioni occurrente confoditur: Aula tamen, ac imprimis Algimundus factum præceps Dolomiro succensens, parricidale cadaver discuti jubet.

Scena IV. Semotum ab Aula truncum, ponè carcerem Algimundus per milites explorans, inventam à satellitibus schedam recenti perfusam sangvine, ubi hæ solùm particulæ legi poterant: - - - *mire* - - - *gelonis in necem juro Dolo* - - , sibiq; oblatam ceu inutilem abjicit. Voydilo & Sermundus libertatem è carcere petunt, quos indignum ratus à Dolomiro Russo damnari, liberos secum ad Principem abducit.

Scena V. Factam discussionem referente Algimundo, Dolomirus cernens Voydilonem & Sermundum adstites, perfidiam Algimundo exprobrat, doliq; authorem arguit, qui violatæ Regiæ reos è carcere dimiserit. Iterum ergo Princeps eos ad vincula trahi Dolomiro mandat, Algimundum verò (utpote Vitoldianum) à conspectu suo in perpetuum arcet, ad ipsius Vitoldi severiorem sententiam. Reduces ad fundum suum Fratres, chartam criminosam in occursu repertam, ad innocentiæ testimonium & vindicias, priscâ superstitione assumunt; juxta illud: *Iumenta loquentur, & canis, & postes, & marmora.* Juvenalis.

INTERLOCVTIO.

CHORUS II.

Genio Skirgelonis æstuanti sub trophæo, inter sauciatos Pantheras (i) Dolus & luxus, dum suos alternatim propinant crateras; ad requiem restincta siti, ex Pocillatoribus facti ossei Choraulæ, quiescenti lugubrè accinunt, spoliatumq; Insignibus, larvâ indutum relinqvunt.

(i) *Pantheres vini admodum avidi, eo à venatoribus capiuntur.* Pieriǫ l. 11. c. 30.

ACTUS TERTIUS.

Scena I. Dolomirus subverso lætus Algimundo verbaq; illa: *pro mucrone munus hoc venit mihi* perpendens, pugionis frustrati locò, craterem honorarium in fata Principis veneno armat, *hæsurum altè* in visceribus. Tum illud Magicum remandens: *Sors verget in te, quando Dux prior cadet,* Alexandrum ceu priorem Kijoviæ Ducem ac Heredem,

redem, & Skirgeloni necessitudine conjunctum (k) neci destinat: quem accedentem officiosa fronte secum ad Aulam evocat, venationemq; Skirgeloni, quâ is præcipuè gaudebat, in proximo nemore proponit.

Scena II. Dum venatui vacatur, Dolomirus Alexandrum pro fera persequens, in eum hastam contorquet: sed irrito jactui obtendit errorem vibrati in feram venabuli. Insidias tamen subodoratus Juvenis, earum se prædam maturè tesquis eripit.

Scena III. Algimundus æger animi ex offensa Principis technisq; Dolomiri, in furorem agitur: sed à veniente Alexandro, ac in levamen turbatæ mentis, captivos illos liberante, ad sanitatem reducitur. Milites liberati sangvinolentam schedam cum oblitis illis verbis: - - *mire* - - *gelonis in nece:* &c. dum Alexandro monstrat, hic Dolomiri manum agnoscens, Algimundo cum iisdem Aulâ abstinere jusso, ipse cum Syngrapha Regiam petit, commodum vindicandi Ducis, & experiundi astûs Dolomiriani captaturus.

Scena IV. Lassus ex agitatione ferarum Princeps, tubam epulis præcinere, mensamq; dapibus instrui mandat; tum Choragium Epheborum ex captivis instituit. Ipse ad crateras magis, quàm pateras anhelans, poculis certare incipit. Dolomiro autem suum cadaverosæ frontis cyathum suggerente, dum Skirgelo explendum recipit, Alexander doli metuens, impedire conatur: hanc cautelam Dolomirus (bibente sensim Duce) ceu importunam reprehendens, chartam tandem sangvinariam è sinu offensi Juvenis evocat, cujus literaria segmina sic complens Alexander: *Nemire, Skirgelonis in necem juro, Dolomirus,* Algimundum requiri impetrat. Dux fraudem diffitenti Dolomiro, idem poculum exhauriendum offert, acceptanti quidem callidè, sed eludendum speranti. Ipse verò, currente choro Juvenum, aliquantùm sopitur.

Scena V. Skirgelo, serpente per viscera malo experrectus, munusq; suum *pro mucrone venire* sibi, cruciatibus expertus, Dolomirum ab accito Algimundo tractari eodem cratere jubet; id quod hic intentato ferro exequitur. At Principe primùm à mensa, mox è vivis sublato, fata quoq; Dolomiri accelerat; funus indicit, in conscios technarum inquirit.

Scena VI. Mæstum resonante tubâ cadaver Skirgelonis deducitur ad Cryptas, (l) quò eum præsaga non pridem umbra, armato calice invitârat.

(k) *P. Kojałowicz part: 2. l. 2.* (l) *Gvagninus ubi suprà.*

E P I L O G U S.

Flagrans Skirgelonis Umbra, mensæ convivalis dissipans apparatum, ad extremum Mitram etiam Ducalem humo allidens, luctu terminari luxum renuntiat. Religio Calicem suum, Pane cælesti & Vino stabiliente Regnorum fortunam, instructum exhibens, Bacchiophilos ad Fontem hunc salientem in vitam æternam, atq; ad triduanam horarum invitat Quadragesimam.

A d
M. DEI T. O. M. G. B. V. MARIÆ S. L. O. C. H.
Omniumq; SS. perpetuam Venerationem.

